



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119185

§. 97. Eleonoræ Imperatricis mors.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

fidelitatem, ingenii ad omnia quoque Sæc. XVII.
 imparata aptissimi aciem, & munifi- A. C. 1655.
 centiam in omnes: Cum vero inter Car-
 dinales ætatis ordine jam quartus esset,
 ab Innocentio X. Prænestinam, atque
 septimo post anno ad Hispani Regis
 nominationem Malacitanam Ecclesiam
 obtinuit, ad quam cum octogenario
 major iter aggredereetur, biennio post
 ibidem die decima Augusti animam
 Deo reddidit, postquam ætatis suæ
 annum octogesimum tertium, Cardina-
 latus vero trigessimum tertium ex-
 pleverat.

§. XCVII.

Eleonoræ Imperatricis mors.

Habebantur rursus Posonii hoc anno
 solemnia Hungarici Regni comitia, Orthel.
 in quibus, Imperatore, ejusque Con- chron. cont.
 jugæ Eleonora & Filio Leopoldo præ- pag. 170.
 sentibus, Proceres A catholici Jesuitas
 Regno expelli, Protestantibus quadrin-
 genta Tempora cedi, liberum mercium
 suarum commercium indulgeri, Regni-
 que fines extendi, ac contra Turcas
 defendi postulabant: petulantius quo-
 que a Cæsare, cur ob sectam proscri-
 ptis in patriam redeundi veniam dene-
 garet, declarari petebant, adita etiam
 comminatione, se Eleonoræ & Leo-
 poldi

Hist. Eccles. Tom. LXII.

U

poldi

Sæc. XVII. poldi inaugurationibus minime assensio-
 ros, nisi prius eorum postulatis plene
A C. 1655. satisfactum fuisset. Cedendum erat
 illorum importunitati, & quamvis Stri-
 gonienſis Archiepiſcopus, & Franciſcus
 Comes de Weſſeleny Neo- electus Hun-
 gariæ Palatinus vehementer reclamaf-
 ſent, Cæſar tamen transactionem anno
 huius ſæculi quadrageſimo ſeptimo cum
 Proteſtantibus inſtam confirmare cogebatur:
 quo factò die decima ſexta Junii Eleonora,
 ac undecimo poſt diei Leopoldus in Hungariæ
 Reges ſolemnè pompa in Eccleſia S. Martini ab
 Archiepiſcopo Strigoniènſi coronati, unctio-
 que fuerunt. Peracta hac feſtività Imperator
 ac Leopoldus die quarta Julii Poſonio
 Viennam proficiſcebantur ut ibidem anniverſarium
 Ferdinandi Regis diem, necnon exequia
 celebrarent Viduæ Imperatricis Eleonoræ
 Mantuanæ, quæ Ferdinando Imperatori ſecundo
 conjugio nupta, eodem die, qua Leopoldus
 Hungariæ Regni inſignia receperat, Viennæ
 ætremum clauſerat diem. Hæc Princeps
 erat omni virtutum genere, ſingulari
 continentix Studio excultiſſima, quæ poſt
 Mariti ſui obitum, nullas unquam ſuſcepiffet
 proles, omnem terrenarum rerum curam in
 ſua Domesticos coniecit, ac unice pietatis
 exercitio

exercitiis addicta reliquos vitæ suæ ^{Sæc. XVII.}
 dies soli Deo consecrabat. Sepulta quie- ^{A. C. 1655.}
 scit Viennæ in Theresianarum Virgi-
 num Monasterio a se ^{An. 1629.} constructo.

§. XCVIII.

*Quidam Scriptores Catholici hoc an-
 no defuncti.*

Hunc pariter annum vitæ suæ exitia-
 lem habuere Catholicorum Scri- ^{Jacobil}
 ptorum nonnulli, quorum opera recen- ^{Bibl. Umbr.}
 semus, & primo quidem Antonius Leon- ^{Aleg. Script.}
 cillus Fermoliensis Episcopus scripsit ^{S. J. Witte}
 tractatum de privilegiis pauperum. II. ^{Diar.}
 Richardus Smithæus Chalcedonensis
 Episcopus, qui edidit responsionem ad
 belli provocationem & prudentialem
 trutinam Religionis, necnon septem
 libros; quos inscripsit; *Flores Historiæ*
Ecclesiasticæ gentis Anglorum præter duo
 volumina, in quibus doctrinam Ca-
 tholicorum & Protestantium contulit:
 Decessit die octavo Martii annos natus
 octoginta octo. De hujus Viri fato, & ^{Vid. l. 196.}
 exantlatis, dum in Anglia Papæ Dele- ^{§. 88. t. 58.}
 gatum ageret, vexationibus, jam su- ^{pag. 638.}
 pra egimus. III. Antonius Collurasi
 elucubravit ideam Nobilis Veneti, tra-
 ctatum de prudentia Regali, & de tu-
 multu plebis Panormitanæ præter alia
 nonnulla. IV. Petrus Jarrigius, quon-
 dam